

P R Æ F A T I O

me ego de me confidam, me mentem Autoris, in re simplici, plane atque simpliciter propositam, & multiplicibus confirmationibus, ab ipso met explanatam atque illustratam, abunde percepisse; Eo ipso tamen non statim verum reddere possim, quod sive ipsius sententia, sive meus circa illam consensus, propterea infallibilitatis & inconcussæ veritatis fundamento nitantur. Quibus omnibus sine affectu pensitatis, spero Viris æquis satisfactum iri, quod hoc negotium in me suscipere non recusaverim. Adjicio vero demum illud, quod forte præmississe fuisset melius, quod laudatus novæ editionis adornator, non æque *commentarium, notas, supplementa,* aut simile quiddam a me desideraverit; sed sententiam solum meam, an & *qua forte ratione,* libello huic aliquid *utilitatis,* aut commodi ulterioris, conciliari posset? Unde quidem ego tanto minus præjudicium aliquod attulero, aliorum de his scopis, aliter, imo fortasse melius sentientium, arbitrio. Ego in me tantum suscepi, quantum ex usu esse opinabar, pro Libri tota intentione atque deductione rectius & feliciter obtinenda. In hunc finem proposui, *primo Præfationem;* qua non solum *scopus* libri hujus scribendi: Sed etiam *usus,* ita uti est, scripti, quasi præmonendo, indicaretur. *Secundo, textus* ipsius (nam formam totius libri pristinam, paginis, imo lineis, exacte retinere communi inter nos consilio placuerat) *distinctionem,* non solum *periodis & commatibus,* pristina meliorem; sed *sensus* etiam, atque *rerum,* in tanta farragine, selectu digniorum, aliquam discretionem, *characteris* diversitate: Quod ingeniis multæ relectionis impatientibus, non exiguum levamen asferre posse, si de reliquo aliqua perspicacia instructa sint, nemo negaverit. *Tertio,* mihi, ipsi hucusque sæpenumero desideratissimam *Clavem,* (non ad morem ineptorum fabricorum, domo majorem) *Indicem* intelligo locupletem, adjungere: *Quarto,* brevi quodam *specimine,* præcipuum generaliore Autoris scopum, nempe solidam *doctrinam,* imo *Docimasiam mixtionis* subterraneorum ex *principiis, & methodis* atque *instrumentis,* ab Autore agnitis & suppositis, imo vel adhuc *simplicioribus* documentis atque experimentis *Theses* ejus ac *hypotheses* de hac materia, complecti, exprimere, confirmare, *illustrare.* Cum itaque hæc omnia meæ curæ atque arbitrio commendaret Dn. Editor, specimini quidem concinnando animum adjeci; Indici vero adornando, cum temporis ratio talia mihi non permitteret, quemcunque sedulum circumspectum eruditum ad-